



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De decimis. Qu[a]estio 87.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

De Decimis, in quatuor articulos diuisa.

Postea considerandum est de decimis.

¶ Et circa hoc quaruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum homines teneantur ad soluendas decimas ex necessitate præcepti?

¶ Secundo, de quibus rebus sint decimæ dandæ.

¶ Tertio, quibus debeant dari.

¶ Quarto, quibus competat eas dare.

ARTIC. I.

Vtrum homines teneantur dare decimas, ex necessitate præcepti?

466

Quoli. 2.

art. 8. Et

quo. 6. a.

10. co. Et

He 7. co

2 c. 1. &

seq. extr.

de deci-

mis.

1. 2. q. 10

3. ar. 3. et

9. 104. a.

3.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd homines non teneantur dare decimas, ex necessitate præcepti. Præceptum enim de solutione decimarum in lege veteri datur, vt patet Leuit. 27. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, domini sunt. Et infra, Omnium decimarum ouis, & bouis, & capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur domino. Non autem potest computari hoc inter præcepta moralia: quia ratio naturalis non magis dicat quòd decima pars debeat magis dari, quàm nona, vel vadedecima. Ergo vel est præceptum iudiciale, vel ceremoniale. Sed, sicut supra dictum est, tempore gratiæ non obligantur homines neque ad præcepta ceremonialia, neque ad iudicialia veteris legis. Ergo homines nunc non obligantur ad decimarum solutionem.

¶ 2. Præterea, illa sola homines obseruare tenentur tempore gratiæ, quæ à Christo per Apostolos sunt mandata: secundum illud Matth. vlt. Docentes eos seruate omnia quæcumque mandavi vobis. Et Paulus dicit Actuum 20. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Sed neque in doctrina Christi, neque in doctrina Apostolorum, aliquid continetur de solutione decimarum. Nam quòd dominus de decimis dicit, Matth. 23.

Vz

Vz vobis qui decimatis mentam & rutam, &c. Hæc oportuit facere; ad tempus præteritum legalis obseruantia referendum videtur. Dicit enim *Can. 24. Hilarius super Matth. Cir. med.* Decimatio illa olerum, quæ in præfigurationem futurorum erat utilis, non debebat omitti. Ergo homines tempore gratiæ non tenentur ad decimarum solutionem.

¶ 3 Præterea, Homines tempore gratiæ non magis tenentur ad obseruantiam legalium, quam ante legem. Sed ante legem non dabatur decimæ ex præcepto, sed solum ex voto. Legitur enim Genes. 28. quod Iacob vouit votum dicens, Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via qua ambulo, &c. Cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Ergo etiam neque tempore gratiæ tenentur homines ad decimarum solutionem.

¶ 4 Præterea, In veteri lege tenebantur homines ad triplices decimas soluendas: quarum quasdam soluebant Leuitis. Dicitur enim Numeri 18. Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt: quas in vsus eorum & necessaria separauit. Erant quoque aliæ decimæ, de quibus legitur Deuteron. 14. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Deus. Erant quoque & aliæ decimæ, de quibus ibidem subditur, Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas: venietque Leuita, qui aliam non habet partem, neque possessionem tecum; & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sūt, & comedent, & saturabuntur. Sed ad secundas & tertias decimas homines non tenentur tempore gratiæ. Ergo neque ad primas.

¶ 5 Præterea, Quod sine determinatione temporis debetur, nisi statim soluat, obligat ad peccatū. Si ergo homines tempore gratiæ obligarentur, ex necessitate præcepti ad decimas soluendas in terris,

in

in quibus decimæ nõ soluuntur, omnes essent in peccato mortali. Et per consequens etiam ministri Ecclesiz, dissimulando: quod videtur inconueniens, Non ergo homines tempore gratiæ ex necessitate tenentur ad solutionem decimarum.

Aug. in ser. 1. domin. 12. post Tri. to. 10. & habetur 16 q. 1. de decimis, à medio.

SED contra est, quod August. dicit, & habetur * 16. quæst. 1. Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.

RESPONDEO dicendum, quòd decimæ in veteri lege dabantur ad sustentationem ministrorũ Dei. Vnde dicitur Malach. 2. Inferte omnem decimationẽ in horreum meum: vt sit cibus in domo mea. Vnde præceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale, inditum naturali ratione: partim autem erat iudiciale, ex diuina institutione robur habens. Quod enim eis qui diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret: ratio naturalis distat sicut & his qui communi vtilitati inuigilant, scilicet Principibus, & mililibus & alijs huiusmodi, stipendia victus debentur à populo. Vnde & Apostolus hoc probat primò ad Corinthios nono, per humanas consuetudines, dicens, Quis militat suis stipendijs vnquam, aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? Sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris diuini cultus, non est de iure naturali, sed est introducta institutione diuina secundum conditionem illius populi, cui lex dabatur: qui cum in duodecim tribus esset diuisus, duodecima tribus, scilicet Leuitica, quæ tota erat ministerijs diuinis mancipata, possessiones non habebat. Vnde conuenienter institutum est, vt reliquæ undecim tribus decimam partem suorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabilius viuerent: & quia etiam aliqui per negligentiam erant transgressores futuri. Vnde quantum ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale: sicut & alia multa specialiter in illo populo instituta erant ad æqualitatem inter homines ad inuicem conseruandam

dam, secundum populi illius conditionem, quæ iudicialia præcepta dicuntur: licet ex consequenti aliquid significarent in futurum, sicut & omnia eorum facta; secundum illud 1. ad Corinth. 10. Omnia in figuram contingebant illis. In quo conueniebant cum ceremonialibus præceptis: quæ principaliter instituta erant ad significandum aliquid futurum. Vnde & præceptum de decimis persoluendis significat aliquid in futurum. Qui enim decimam dat, quæ est perfectionis signum (eo quod denarius est quodammodo numerus perfectus, quasi primus limes numerorum: ultra quem numerum, non procedunt, sed reiterantur ab vno), nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo ad se pertinere imperfectionem; perfectionem verò quæ erat futura per Christum, esse expectandam à Deo. Nec tamen propter hoc est ceremoniale præceptum, sed iudiciale, vt dictum est*. Est autem hæc differentia inter ceremonialia & iudicialia legis præcepta, vt supra diximus, quod ceremonialia illicitum est obseruare tempore legis nouæ; iudicialia verò etsi non obligent tempore gratiæ, tamen possunt obseruari absque peccato: & ad eorum obseruantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorum, quorum est condere legem. Sicut præceptum iudiciale veteris legis est, quod qui furatus fuit ouem, reddat quatuor oues, vt legitur Exod. 22. Quod si ab aliquo Rege statuatur, tenentur eius subditi obseruare. Ita etiam determinatio decimæ partis soluendæ, est auctoritate Ecclesiæ, tempore nouæ legis, instituta, secundum quamdam humanitatem: vt scilicet non minus populus nouæ legis ministris noui testamenti exhiberet, quàm populus veteris legis, ministris veteris testamenti exhibebat: cum tamen populus nouæ legis ad maiora obligetur, secundum illud Matthæi 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnū cælorum; & cum ministri noui testamenti sint maioris digni-

in isto a.

1. 2. quæst.

10. a. 3.

dignitatis, quàm ministri veteris testamenti, vt probat Apostolus 2. ad Corinthios 3. Sic ergo patet, quòd ad solutionem decimarum homines tenentur: partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex institutione ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, possit aliam partem determinare soluendam. Et per hoc patet responsio Ad primum.

Ad secundum dicendum, quòd præceptum de solutione decimarum, quantum ad id quod erat morale, datum est in Euangelio à Domino, vbi dicitur Matth. decimo, Dignus est operarius mercede sua. Et etiam ab Apostolo, vt patet 1. ad Corinth. 9. Sed determinatio certæ partis est reseruata ordinationi Ecclesiæ.

Ad tertium dicendum, quòd ante tempus veteris legis, non erant determinati ministri diuini cultus: sed dicitur quòd primogeniti erant sacerdotes, qui duplicem portionem accipiebant. Et idè etiam non erat determinata aliqua pars exhibenda ministris diuini cultus: sed vbi aliquis occurrebat, vni quisque dabat ei propria spòte quod sibi videbatur. Sicut Abraham quodam prophético instinctu dedit decimas Melchisedech sacerdoti Dei summi, vt dicitur Genes. 14. Et similiter Iacob decimas vouit se daturum: quamuis non videatur decimas vouisse, quasi aliquibus ministris exhibendas, sed in diuinum cultum, puta ad sacrificiorum consummationem. Vnde signanter dicit, Offeram tibi decimas.

Ad quartum dicendum, quòd secundæ decimæ quæ reseruabantur ad sacrificia offerenda, locum in noua lege non habent, cessantibus legalibus victimis. Tertiarum verò decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant, in noua lege augètur per hoc quòd Dominus non solum decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus iubet exhiberi: secundum illud Luc. 11. Quod superest date eleemosynam Ipse etiã decimæ quæ ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent

bent in vsus pauperum dispensari.

Ad quintum dicendum, quòd ministri ecclesiæ maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promouendorum, quam temporalium colligendorum. Et ideo Apostolus noluit uti potestate sibi à Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab his quibus Euangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Christi. Nec tamen peccabant illi qui ei non subueniebant: alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter ministri ecclesiæ decimas ecclesiæ non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis qui non soluunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit: nisi fortè propter obstinationem animi habentes voluntatem non soluendi, etiam si ab eis peterentur.

ARTIC. II.

Vtrum de omnibus teneantur homines decimas dare?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd non de omnibus teneantur homines decimas dare. Solutio enim decimarum videtur esse ex veteri lege introducta. Sed in veteri lege nullum præceptum datur de personalibus decimis, quæ scilicet soluuntur de his quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus vel de militia. Ergo de talibus decimas nullus soluere tenetur.

¶ 2 Præterea, De male acquisitis non debet fieri oblatio, ut supra * dictum est. Sed oblationes, quæ immediatè Deo exhibentur, magis videtur pertinere ad diuinum cultum, quam decimæ quæ exhibentur ministris. Ergo etiam nec decimæ de male acquisitis sunt soluendæ.

¶ 3 Præterea, Leuitici ultimo, non mandatur solui decima, nisi de frugibus & pomis arborum, & animalibus quæ transeunt sub virga pastoris. Sed

467
c. peruenit et c.
nuntios
extra de decimis.

qu. præc.
ar. 3.

præ-

præter hæc sunt quædam alia minuta, quæ homini proueniunt: sicut herbe quæ nascuntur in horto, & alia huiusmodi. Ergo nec de illis homo decimas dare tenetur.

¶ 4 Præterea, Homo non potest soluere, nisi id quod est in eius potestate. Sed non omnia, quæ proueniunt homini de fructibus agrorum aut animalium remanent in eius potestate: quia quædam aliquando subtrahuntur per furtum vel rapinam: quædam verò quandoque in alium transferuntur per venditionem: quædam etiam alijs debentur, sicut Principibus debentur tributa; & operarijs debentur mercedes. Ergo de his non tenetur aliquis decimas dare.

SED contra est, quod dicitur Genes. 28. Cunctum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Sed omnia quæ homo habet, sunt ei data diuinitus. Ergo de omnibus debet decimas dare.

RESPONDEO dicendum, quod de vnaquaque re præcipue est iudicandum secundum eius radicem. Radix autem solutionis decimarum est debitum quo seminantibus spiritualia, debentur carnalia, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, non magnum est si carnalia vestra metamus. Super hoc enim debitum fundauit ecclesia determinationem solutionis decimarum. Omnia autem quæcumque homo possidet, sub carnalibus continentur: & ideo de omnibus possessis decimæ sunt soluendæ.

Ad primum ergo dicendum, quod specialis ratio fuit quare in veteri lege non fuit datum præceptum de personalibus decimis secundum conditionem populi illius: quia scilicet omnes aliæ tribus certas possessiones habebant, de quibus poterant sufficienter providere Leuitis, qui carebant possessionibus. Non autem interdicebatur eis, quin de alijs operibus honestis lucrarentur, sicut & alij Iudæi. Sed populus nouæ legis est vbique per mundum diffusus, quorum plurimi possessiones non habent, sed de aliquibus nego-

negotij viunt: qui nihil conferrent ad subsidium ministrorum Dei, si de eorum negotijs decimas non soluerent. Ministris etiam nouæ legis arctius interdicitur ne se ingerant negotijs lucratiuis, secundum illud secundæ ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs. Et ideo in noua lege tenentur homines ad decimas personales, secundum consuetudinem patriæ & indigentiam ministrorum. Vnde Augustinus * dicit, & habetur 16. quest. 1. capit. Decimæ, De militia, de negotio, & artificio, redde decimas.

Ad secundum dicendum, quod aliqua malè acquiruntur dupliciter. Vno modo, quia ipsa acquisitio est iniusta: puta quæ acquiruntur per rapinam, aut furtum aut vsuram, quæ homo tenetur restituere; non autem de eis decimas dare. Tamè si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare: quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere. Quædam verò dicuntur malè acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meretricio, & histrionatu, & alijs huiusmodi: quæ non tenentur restituere. Vnde de talibus tenentur decimas dare secundum modum aliarum personalium decimarum. Tamen ecclesia non debet eas recipere, quando sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare: sed postquam penituerint, possunt ab eis de his recipi decimæ.

Ad tertium dicendum, quod ea quæ ordinantur in finem, sunt iudicanda secundum quod cõpetunt fini. Decimarum autem solutio est debita, nõ propter se, sed propter ministros; quorum honestati non conuenit, vt etiã minima exacta diligentia requirant. Hoc enim in vitium computatur, vt patet per Philos. in 4. Ethic. Et ideo lex vetus non determinauit, vt de huiusmodi minutis rebus decimæ dentur, sed reliquit hoc arbitrio dare volentium: quia minima, quasi nihil computantur. Vnde Pharisei quasi perfecti legis iustitiam sibi ascribentes, etiam de his minutis deci-

*in ser. 1.
dom. 11.
post Tri.
10. 10. &
habetur,
16. q. 1. c.
decimæ.*

*c. 2. ali-
quantu-
lud me-
dio, 10. 5.*

decimas soluebant. Nec tamen de hoc reprehenduntur à Domino, sed solum de hoc, quòd maiora, scilicet spiritualia præcepta contemnebant. Magis autem de hoc eos secundum se commendabiles esse ostendit, dicens, Hæc oportuit facere, scilicet tempore legis, ut Chrysof. * exponit. Quod etiam videtur magis in quamdam decemtam sonare, quam in obligationem. Unde & nunc de huiusmodi minoribus rebus non tenentur homines decimas dare, nisi forte propter consuetudinem patriæ.

ho. 44 in
in Matt.
in opere
imperf. à
medio il-
lius.

Ad quartum dicendum, quòd de his quæ furto vel rapina tolluntur, ille à quo auferuntur, decimas solvere non tenetur antequam recuperet, nisi forte propter culpam vel negligentiam suam damnum incurrit: quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari. Si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere Ecclesiæ debitas; & ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam; & a venditore, quia quantum est de se, Ecclesiam defraudavit. Vno tamen solvente, alius non tenetur. Debentur autem decimæ de fructibus terræ, in quantum proveniunt ex diuino munere. Et ideo decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxie mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa & pretium operariorum, quam soluantur decimæ; sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus.

ARTIC. III.

Utrum decimæ sint clericis dandæ?

468
c. quæuis
extra de
decimis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd decimæ non sint clericis dandæ. Leuitis enim in veteri testamento decimæ dabantur; quia non habebant aliam partem in possessionibus populi, ut habetur Numer. 18. Sed clerici in nouo testamento habent possessiones, & patrimoniales interdum, & ecclesiasticas: recipiunt insuper primitias & oblationes pro viuis & mortuis. Superfluum ergo est quòd eis decimæ dentur.

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Contingit quandoque, quòd aliquis habet domicilium in vna parochia, & colit agros in alia: vel aliquis pastor ducit gregem per vnam partem anni in terminis vnius parochiæ, & alia parte anni in terminis alterius: vel habet ouile in vna parochia, & pascit oues in alia. In quibus, & consimilibus casibus, non videtur posse distingui, quibus clericis sint decimæ soluendæ. Ergo non videtur quòd aliquibus clericis determinatè sint soluendæ decimæ.

¶ 3 Præterea: Generalis consuetudo habet in quibusdam terris, quòd milites decimas ab Ecclesia in feudum tenent: religiosi etiam quidam decimas accipiunt. Non ergo videtur, quòd solum clericis curam animarum habentibus decimæ debentur.

SED contra est, quod dicitur Num. 18. Filijs Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo. Sed filijs Leui succedunt clerici in nouo testamento. Ergo solis clericis decimæ debentur.

RESPONDEO dicendum, quòd circa decimas duo sunt consideranda, scilicet ipsum ius accipiendi decimas, & ipsæ res, quæ nomine decimæ dantur. Ius autem accipiendi decimas spirituale est. Consequitur enim illud debitum quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminariis spiritualia, debentur temporalia: quod ad solos clericos pertinet, habentes curam animarum: & ideo eis solis cõpetit hoc ius habere Res autè quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt. Vnde possunt in vsu quorùlibet cedere, & sic possunt etiã ad laicos puenire.

Ad primum ergo dicendum, quòd in veteri lege, sic, *a. x. huius*
 ut dictum est, spirituales quædam decimæ deputantur *quest. 2. 2.*
 subuentioni pauperum. Sed in noua lege decimæ dan- *4. præci-*
 tur clericis, non solum propter sui sustentationem; *pui.*
 sed etiam vt ex eis subueniant pauperibus: & ideo non superfluum; sed ad hoc necessaria sunt & possessiones ecclesiasticæ, & oblationes & primitiæ simul cum decimis.

Sec. sec. Vol. ij.

Z.

Ad

Ad secundum dicendum, quod decimæ personales debentur Ecclesiæ, in cuius parochia homo habitat: decimæ verò prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad ecclesiam, in cuius terminis prædia facta sunt. Tamen iura determinant, quod in hoc seruetur consuetudo diu obtenta. Pastor autem qui diuersis temporibus in duabus parochijs gregem pascit, debet proportionaliter vtrique ecclesiæ decimas solueri. Et quia ex pascuis fructus gregis proueniunt, magis debetur decima gregis ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quam illi, in cuius territorio ouile locatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut res nomine decimæ acceptas, potest ecclesia alicui laico tradere: ita etiam potest ei concedere ut dandas decimas ipsi accipiant, iure accipiendi ministris ecclesiæ reueruato: siue pro necessitate ecclesiæ (sicut quibusdam militibus decimæ debentur in feudum per ecclesiam concessæ): siue etiam ad subuentionem pauperum, sicut quibusdam religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum, alicuius decimæ sunt concessæ per modum elemosynæ. Quibusdam tamen religiosis comperit accipere decimas, ex eo quod habent curam animarum.

ARTIC. IV.

Vtrum etiam clerici teneantur decimas dare?

469
c. nouam
genus, ex
tra de de
cimis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod etiam clerici teneantur decimas dare. Quia de iure communi ecclesia parochialis debet recipere decimas prædiorum, quæ in territorio eius sunt. Concingit autem quandoque, quod clerici habent in territorio cuius parochialis ecclesiæ aliqua prædia propria, vel etiam aliqua alia ecclesia habet ibi possessiones ecclesiasticas. Ergo videtur quod clerici teneantur dare prædiales decimas.

¶ 2 Præterea, Aliqui religiosi sunt clerici, qui tamen tenentur dare decimas ecclesijs, ratione prædiorum, quæ etiam manibus proprijs excolunt. Ergo videtur

ædetur quod clerici non sint immunes à solutione decimarum .

¶ 3 Præterea, Sicut Numerr. decimo octavo, præcipitur, quòd Leuita à populo decimas accipiant ; ita etiam præcipitur quòd ipsi dent decimas summo sacerdoti . Ergo qua ratione laici debent dare decimas clericis , eadem ratione clerici debent dare decimas summo Pontifici .

¶ 4 Præterea , Sicut decimæ debent cedere in sustentationem clericorum ; ita etiam debent cedere in subuentionem pauperum . Si ergo clerici excusantur à solutione decimarum , pari ratione excusantur & pauperes . Hoc autem est falsum . Ergo & primum .

SED contra est, quod dicit Decret. * Paschalis Pape, Nouum genus exactionis est , vt clerici à clericis decimas exigant . *Ibidem.*

RESPONDEO dicendum, quòd idem non potest esse causa dandi & recipiendi , sicut nec causa agendi & patiendi . Contingit autem ex diuersis causis & respectu diuersorum eundem esse dantem & recipientem , sicut agentem & patientem . Clericis autem , in quantum sunt ministri altaribus, spiritualia populo seminantes, decimæ à fidelibus debentur . Vnde tales clerici , in quantum clerici sunt , id est , in quantum habent ecclesiasticas possessiones , decimas soluere non tenentur . Ex alia verò causa, scilicet propter hoc, quòd possident proprio iure vel ex successione parentum , vel ex emptione , vel quocumque huiusmodi modo , sunt ad decimas soluendas obligati .

Vnde patet responsio Ad primum : quia clerici de proprijs prædijs tenentur soluere decimas parochiali ecclesie, sicut & alij, etiam si ipsi sint eiusdem ecclesie clerici : quia aliud est habere aliquid vt proprium, aliud vt commune . Prædia verò ecclesie non sunt ad decimas soluendas obligata, etiam si sint infra terminos alterius parochie .

Ad secundum dicendum , quòd religiosi , qui sunt clerici , si habeant curam animarum, spiritualia populo

pulo dispensantes, non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De alijs verò religiosis, etiam si sint clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio. Ipsi enim tenentur de iure cõmuni decimas dare: habent tamen aliquam immunitate secundũ diuersas concessiones eis à sede Apostolica factas.

Ad tertium dicendum, quòd in veteri lege primitiæ debebantur sacerdotibus: decimæ autem Leuitis. Et quia sub sacerdotibus Leuitæ erant. Dominus mandauit, vt ipsi loco primitiarum soluerent summo sacerdoti decimam decimæ. Vnde nunc eadem ratione tenentur clerici summo Pontifici decimam dare, si exigeret. Naturalis enim ratio dicitur, vt ille qui habet curam de communi multitudinis statu, provideatur de bonis communibus, vnde possit exequi ea que pertinent ad communem salutem.

Ad quartum dicendum, quòd decimæ debent cedere in subuentionem pauperum per dispensationem clericorum. Et ideo pauperes non habent causam accipiendi decimas, sed tenentur eas dare.

QVÆST. LXXXVIII.

De voto, per quod aliquid Deo promittitur, in duodecim articulos diuisa.

DEinde considerandum est de voto, per quod aliquid Deo promittitur.

- ¶ Et circa hoc quærentur duodecim.
- ¶ Primo, quid sit votum.
- ¶ Secundo, quid cadat sub voto.
- ¶ Tertio, de obligatione voti.
- ¶ Quarto, de utilitate vouendi.
- ¶ Quinto, cuius virtutis sit actus.
- ¶ Sexto, verum magis meritorium sit facere aliquid ex voto, quam sine voto?
- ¶ Septimo, de solemnitate voti.
- ¶ Octauo, vtrum possint vouere, qui sunt potestati alterius subiecti?
- ¶ Nono, vtrum pueri possint voto obligari ad religionis ingressum?

¶ De-